



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

28. Quid sit de illorum, qui plures peste infectos in eodem cubiculo, vel lecto iacentes, simul audiunt & absoluunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

gras audire possit, cum non ita graui contagionis periculo, tenebitur ne illos integre audire?

R. Non teneri propter debitum charitatis, quo aliis in pari vel maiori salutis periculo existentibus (vt præsupponimus) teneretur quoque hoc sacramentum ministrare.

Q V Æ S T I O XXVIII.

Quid de illorum, qui plures peste infectos in eodē cubiculo, vel lecto iacentes, simul audiunt & absoluunt?

Quæstionis explicatio.

Frequens est læuiente pestilentia, vt pastores plures offendant egros in eisdem Xenodochiis publicis, vel ædibus priuatis, cubiculis, subinde etiam lectis iacentes, quos necessum est, si confiteri debeant, vt sociis audientibus confiteantur: Queritur, an hic modus confitendi, & simul illos absoluendi tolerari possit?

Responsio.

Potest tolerari & practicari, imo subinde ipsi peste infecti hoc modo tenebuntur confiteri, & pastor absoluere. Primum probatur, quia quamuis nemo cogi possit ad

fit ad confessionem publicam, seu talem, quæ in aliorum notitiam venire possit, tamen quilibet potest iuri suo cedere, & aliquid infamiæ pati ad maius aliquod spirituale bonum consequendum, ut communiter Dd. tradunt. Alterum probatur, quia si æger non confidit, se posse consequi remissionem peccatorum, nisi virtute absolutionis sacramentalis, tunc etsi non ex præcepto sacramenti, tamen ex præcepto charitatis, quo tenetur salutem animæ suæ prospicere, tenebitur sociis audientibus confiteri, & potius subire quamvis infamiam, & quævis detrimenta, quam non confiteri, & sacramentalem absolutionem consequi, ut patet.

Dices: Si liceret plures simul vno confiteri, liceret quoque plures sacerdotes, si forte concurrerent, vnius audire confessionem, hoc autem posterius non licet, quia sacerdos gerit personam Christi, qui vnus est, ergo nec prius: Sic argumentatur Scotus (a) contra hunc modum confitendi & absoluendi. *a in 4. dist. 7.*

R. Negando subsumptum, & ad rationem eius dicimus plures sacerdotes, si concurrant, non gerere personam plurium, sed vnius videlicet, Christi, quem vnū omnes sacerdotes representant.

S Q V A-